

intuitivè cognosci ab hominibus, cum illis, qui in terris ad-  
huc vivunt, nondum infusum sit lumen gloriae, sine quo  
DEUS intuitivè conspicere nequit.

## CELLULA III.

### §. I.

Tandem querunt Autores, an DEUS sit extra mundum  
& in spatiis imaginariis etiam praesens? Negativam de-  
fendunt Scotus in I. dist. 37. q. unica. Capreolus q. unica art.  
3. Bonaventura lib. I. sent. dist. 37. art. 2. q. I. num. 22. Du-  
randus q. I. Vasquez apud Arriagam disp. 14. Phys. n. 68. Mar-  
tinus Schoockius in tract. Philosophic. de Nibilo cap. 8. p. 28. Af-  
firmativam tueruntur Hermes Trismegistus in Asclepio, cuius  
haec sunt verba; DEUS supra verticem summi coeli consi-  
stens, ubique est, omniaque cernit. Confer. Conimbricenses  
in lib. 8. Phys. Arist. cap. 10. q. 2. art. 2. p. 515. Petrus Hurtadus  
de Mendoza disp. 14. Phys. f. 3. Suarez dips. 30. Met. sect. 7. c. 3.  
Hornejus disp. 3. Theol. f. 2. p. 285. Henricus Nicolai in Tracta-  
tu singulari Philosophico-Theologico f. 2. §. 7. 8.

§. 2. Hic tamen sciendum dupliciter aliquid dici alicui-  
bi esse, uno modo absolute & in se, aliò modo cum respectu  
ad alterum. Priori modo DEUS est etiam extra coelos,  
non quod ibi rebus ullis praesens sit, quæ illic nullæ sunt, sed  
quia in se existit & sibi praesens est, sicut ab æternô erat,  
cum nihil dum præter ipsum esset. Posteriori autem modo  
est in coelo & in terra, ubi non tantum sibi ipsi praesens est  
& in se existit, sed aliis etiam rebus omnibusque creaturis  
substantia & operationibus suis adest. Porro notandum  
est, quod spatiū imaginarium non sit Ens reale & verus a-  
liquis extra coelum locus, ut quidem volunt Petrus Fonseca  
lib. 5. Met. c. 3. q. 7. f. 1. Molina p. 1. q. 8. Albertinus tom. 2. Con-  
rolla.